DEO. OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA,

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXIV. IANVARII.

M. CLAVDIO PERRAVLT, Doctore Medico, Moderatore.

An bene fluida reddere corpora, Purgare eſt?

I MPVRA corporibus ægris illuuies non incautâ, non oſcitante Naturâ; ſed ineluctabili neceſſitate ſuccreſcit: inſita vnicuique particulæ nempe vis ineſt, quâ in humorum nutritionis gratiâ ſubeuntium mores, falli neſciâ cognitione inquirens, nocentes aditu prohibeat: eſt & impetus vniuerſo corpori nullâ quiete interruptus, quo deprehenſos eliminet. Id operis cor inexhauſto ſanguine pulſans arterias, perenni vrget agitatione: hoc cerebri ſe ipſum quoque jugiter cientis, hoc thoracis pulmones pariter & viſcera omnia quatientis motus, inteſtinorum periſtaltica compreſſio, muſculorum contractio, & ſingularum particularum naturalis contentio, eâdem laboris aſſiduitate moliuntur: iis adeò variis ictibus, humores jam ſordidâ notati repulsâ, & inuiſi, per publicas venarum & arteriarum vias errantes, huc illuc tamdiu aguntur, donec infra per renum, ſuperiùs per choanæ demeacula quoquouerſum per cutis ſpiracula, agiles & non refractarij commodùm ſecedant; tardi aut craſſiores in jecoris, lienis, pancreatis, vteri; & glandularum anguſtias compulſi, intercipiantur, aut in pulmonis, pericardij veſiculæ foueas incidant, vt iis in cuſtodiis detenti, morâ pepaſmum patiantur, quò nempe dum nonnulli reſipientes, harum partium nutritioni, aliiſue vſibus inſeruiunt, alij nequam & nullius frugi, alіorſum quâ data porta pellantur ignominioſe, nequiores ad vilia damnentur euerrendorum inteſtinorum miniſteria. Sed plerumque hac maximâ prouidæ corporum curatricis induſtriâ, major humorum contumacia vim ſecreticem perinde eludit, ac ſuperat expultricem, quas ſui muneris admonere, & ad opus impellere, nihil facit ad purgationem.

V TILIBVS ſuperflui importune permixti humores, aut pertinaciter partibus inhæreſcentes, gemina ſunt, quæ ſecretici & expultrici potentiæ, ab vna cruditate objiciuntur offendicula: hujus vitij, quod praui, ſuperfluentis, & præpoſtere, aut intempeſtiue ingeſti alimenti externis erroribus imputare decet, raro inſimulanda ea vis eſt, quæ intus alit, & corpoream agitat molem, niſi quia laborat, vel ſtrenuo cuique opifici, grauiſſimâ difficultate modum tenendi inter contrarias neceſſitates: Nam quid agat? Si quæ retineri decet ac prodeſt mora corrumpit, & corruptos longâ cum purioribus conſuetudine, ac fere neceſſitudine permiſcet humores: ſi qui par eſt coquendis durioribus cibis calor, coctu faciles adurit: qui valet nutrimenta in ſolidarum partium naturam cogere, eorum reliquias condenſat, & exiles meatus occludat neceſſe eſt, dum fibras patentiorum vaſorum opportunè conſtringit. Sanè tum cor necquidquam ictus ingeminet; pulmones properando anhelent, membra riptaſmo quatiantur. Scilicet tot nixibus impulſorum vehementius humorum, praui quique & mobiles foſſas tranſiliunt, anguſtias peruadunt, neceſſariæ ad pepaſmum omnis moræ impatientes; vtiles cæterorum turbâ impediti rapiuntur vt nutriendas partes vix adire queant, ambo tumultoſâ agitatione, magis ac magis inuicem permiſcentur, præcipiti motu incandeſcunt, craſſi & tardiores calore excocti tenacius adhærent, omnes incaſſum vrgentur, ſollicitantur. Adeo inani hac trepidatione tenuem tantum ichorem infauſto omine videas exprimi in inteſtina, alimenti corrupti effœtam aluum manare illuuie, renibus aqueam ſanguinis portionem pondere inutiliter excidere, vt jure tunc male fluida, ac nihilo puriora corpora dici mereantur.

V BI rapidus reſedit ille impetus, quo primum res quæque nititur in obices, ſi medicis præſidiis coërcitus, aut in validam naturam ſæuiendo conſumptus, cæcus ille ardor vires admodum non exhauſit, meliore conſilio vſa optima parens, quos vi deturbare non valet, placide & leniter adoritur. Nempe caloris iſtius vſtulatorij tyrannide liberata legitimum vitæ gubernatorem & ſeruatorem ſpiritum, verum actionum omnium artificem, operi admouet, qui apprime gnarus, materiam nutritionis duram, diffluentem, inſipidam natiuis viſcerum lebetibus liquando, terminando, condiendo, coquere; non multum difficiliore negotio hærentes importune ſordes, petito ab iiſdem partibus inſito veluti quodam lixiuio diluit, incidit, ſoluit; abſurde promiſcuos humores ſeu coagulo ſegregat, & inquinatas eorum partes à purioribus, non ſecus ac in muſti defœcatione ac deſpumatione per fermentationem diſcriminat, vt ſic domitos nec reluctantes eliminandos tradat expultrici potentiæ, nunquam non expeditæ & in procinctu ſemper excubanti, quæ non tam exernendorum jam dudum ſtimulante prauitate incitata, quàm eorum ſtatim atque adeſt facilitate inuitata, criticam euacuationem aggreditur. Quippe ad eam Naturâ præſentis cruditatis moleſtiâ nunquam ſe accingente, ſemper vero coctionis occaſione & opportunâ commoditate pepaſmi, qui nihil aliud eſt quam apta & conueniens ad excretionem in prauis humoribus mutatio facta à calore natiuo morbi cauſas triumphante.

C ONATIBVS naturæ adjuuandis & perficiendis ars plerumque neceſſaria eſt, ſed vana omnis quæ aut inutilem ei operam præſtat, aut temere ab eâ ſuſceptos labores promouet, aut matura etiam ejus conſilia non conuenientibus auxiliis proſequitur. Adeo parum idoneus miniſter accedet qui de noxiis expellendis ſatis vt ſemper ſollicitam monere, acriùs iſtud negotium & maximo vt contingit virium diſpendio ſatagentem adigere, ſtimulis exanimare & κινέειν ἐρεθισμοῖσι contendet ſolâ cunctantem humorum contumaciâ quos mollire ſufficit, & pro ſummo illius, ſed tum haud ſatis efficacj voto mobiles reddere ac priſtinæ fluiditati reſtituendo φαρμακείησι νεωτεροποιέειν. Quin melius ei porro conſulet qui validam ſinens in humores non repugnantes, ſuo vti, ſicut ſolet, imperio; in rebelles impotentius iraſcentem placare ſtudebit, & motu concitatiore male fluentes orgaſmo ad purgationem parum opportuno, ipſos humores maturè coërcebit, tum vero morantes & veſtutate pigros innouare tentantem adjuuabit, probatis longo vſu medicamentis. In quorum ſyluâ accomodatiſſimum bene ſeliget, ſi καθαρτικὸν omne cum veteribus παρακτὸν, ἄπεπλον, cum improprie loquentibus ἑλκτικὸν ita agnoſcet, vt in eo vim purgandi ſejunctam intelligat ab indomitâ & pertubatoriâ; atque adeo hanc nihil ab exercendorum prauitate diuerſum efficere; illam haud quidquam præſtare præter remedij facultatem per corpus illibatam: præſertim vero nullâ potiori ratione trahere exiſtimauerit quàm cætera quæcunque partium agilitate meabili ſubeundo, firmâ exilitate diſſecando, molliori tenuitate diluendo, per loci decliuitatem, ductuum amplificationem, imbecillitatem, ſuſcipiendos, admittendos excrementitios humores fluore, pondere, leuitate efficiunt expellenti naturæ minus reluctantes, & illos vt pus, ſaniem, hærentia ſpicula, aut venena eo tantum nomine & μεταφορᾷ trahere perhibentur. Aliàs enim φάρμακον aut quaſi deleterium & colliquans ἀλλοτριώτατα τε ϰ̀ συμπεφυκότα, ὑγιεινά ϰ̀ ἀντέχοντα τῷ νοσήματι male audit, aut veluti inſtrumentum ejus artificis, qui vſum illius vtcumque ſed artificium nullatenus calleat; atque vt hôc non decet vti Philoſophum; ita neque illo Medicus vnquam purgare tentauerit.

L IQVIDA per vacuati ſucceſſionem attrahi manifeſtum eſt: ſed purgationi parum idonea talis attractio, quia promiſcua. Aliam in medicamentorum ſingulari proprietate per magneticas tenebras quærere, An præſtat? Certe non videtur ſatis in Euphorbio temperies, aut ſapor in colocynthide, aut color in ſmaragdo, aut in fimo fœditas, ad alliciendum corruptos, æruginoſos, amaros, aut feruidos humores, ipsâ familiaritatis gratiâ valere. Nec potior cenſeri debet formæ ſubſtantialis authoritas ad conquirendos illos pertrahendoſque imperioſo delectu, nequidem etiam animæ auſpiciis per viuentis partis precariam poteſtatem vegetabilem. Hanc nempe vim quæ immutabilis, & propriæ tantum vtilitatis cauſâ ſemper agere nata eſt, poſſe tamen à medicamento ita deprauari, vt aliena cupiditate feratur in res noxias, Quis ſibi fingat? Aperte docet Experientia admotis exterius catharticis, amuletis introrſum fluere humores, ſudorifica intus excepta extimam purgationem, Emetica plerumque infernam, enemata ſupernam moliri: Id vero tractione contingere Ratio nulla demonſtrare poteſt. Catharticum purgandas omnes partes corporis ſaltem ſuâ portione tenuiori peruadere certum eſt, ſed tum permixtum humoribus incertum quo trahere debeat illos, jure pendere animi dicas, & nouo duce qui trahat, opus habere: Nam cur potius adeat inteſtina? An τοῦτο βέλτιον ἦ νομίζον? Sane cum purgamenta ſponte Natura foras eliminat, nuſquam vtitur attractione. Hanc igitur nec illius imitatrix Medicina in mente habere debet: cui Elateria proprie nulla, nedum Epiſpaſtica vere medicamenta ſuppetunt. Interni enim opificis eſt, bilem, pituitam, aut melancholiam agere. Externa catharticorum inſtrumenta minus apte dixeris Cholagoga, Phlegmagoga aut Menelagoga, quorum vnum munus eſt pepaſmi debilem inchoatam tardam actionem præuenire, adjuuare, perficere, hos vel illos humores diſſoluendo, cogendo, meatus aperiendo, atque adeo ad exeundum varie præparando, prout inſitum eſt vnicuique medicamento, varie propria partium vincula in craſſis abrumpere, in confuſis colligare, in anguſtis laxare, euentu comprobante aquam, acetum, oleum, ſales varioſque ſuccos, vi quibuſque ſingulari, varia varie ſoluere & permixtas diuerſi generis partes ad ſimiles congregare, tum alios humores Rheo, alios Agarico, alios Sennâ dilui, cogi, ſegregari; vnde verus in legitimâ purgatione delectus: cum nempe cæteris hærentibus, vnum illum vis interna propellit, quem externâ ope mobilem inuenerit. Omnino Purgare, quod eſt qualitate peccantium humorum è corpore exitum medicamento promouere, commune Naturæ cum Medico officium eſt. Sed quemadmodum Illam meabiles cùm partes tùm humores pro ſuo munere præcipuo vrgere ſufficit: ſic τὰ σώματα χρὴ ὅκȣ ἄν τις βούληται καθαίρειν εὔροα ποιέειν.

Ergo bene fluida reddere corpora, Purgare eſt.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Antonius de Sartes, Schol. Prof.
M. Daniel Arbinet.
M. Carolus Baralis.

M. Ioannes Antonius Bourgault.
M. Germanus Hureau.
M. Ioannes de Bourges.

M. Philippus Harduinus de S. Iacques, Schol. Cenſor.
M. Helias Beda des Fougerais.
M. Claudius Quiquebeuf.

Proponebat Lutetiæ ANTONIVS LE MOINE Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LXIV.